

This image shows a vertical column of twelve numbered fragments from an ancient manuscript, possibly a calendar, arranged in two columns. The fragments are heavily damaged and stained, with remnants of text and illustrations visible. The numbers 1 through 12 are written vertically along the left side of the column.

A vertical column of 12 large, stylized, dark green or black characters written in a traditional East Asian script, likely Chinese or Korean, arranged vertically along the left edge of the page.

This image shows a vertical strip of aged, yellowish-brown paper, likely from an old book cover or endpaper. The paper has a textured, slightly mottled appearance. A decorative border runs vertically along the edge of the paper. This border consists of a repeating pattern of stylized, rounded shapes that resemble stylized 'S' or 'C' scrolls. The color of the paper and the border is a muted, earthy tone. At the bottom left corner, there is a small, distinct red binding element, possibly a piece of thread or a small tag, which provides a sharp contrast to the yellowish-brown color of the paper.



ov

wicht im Ab

WP

Ug 17, 9



DISPUTATIO
CONFESSIONE;

Quam,
AUXILIANTE DEO T. O. MAX;
Authoritate & Decreto

Magnifici & Amplissimi jCtorum Ordinis
in Antiqua & Celeberrima
TUBINGENSIMUM UNIVERSITATE,

PRÆSIDE
WOLFGANG-ADAMO Lauterbach/
U. J. D. & Professore, h. t. Rectore
ac Decano,

Pro Honoribus & Privilegiis

DOCTORALIBUS

in utroq. Jure rite consequendis,

Ad Diem Aprilis,

Publico atq. solenni examini
submittit.

JOHANNES - BALTHASAR Rupferschmid/
Mœno-Francofurtensis.

Typis JOHANN: ALEXANDRI CELLI,
ANNO M. DC. LVI.



VIRIS
MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS,
AMPLISSLIMIS, CONSULTISSIMIS,
ac rerum usu Prudentissimis, Præstantissimis,

DNN.
PRÆTORI,
CONSULIBUS,
SCABINIS,
SYNDICIS,

Nec non ceteris

Inlytæ Reipublicæ Francofurti ad Mœnum
SENATORIBUS,
PATRIBVS PATRIÆ EMINENTISSIMIS.

*Dominis Mecanatibus, Patronis
Maximis, Venerandis,*

*Disputationem hanc Inauguralem,
juxtag̃ se totum, observanter & humilime
Dedicat, Offert,*

Johannes-Balthasar Kupferschmid.

P R A E F A T I O.



Mpetrata ab Amplissimo J Ctorum, in hac Illustri Academia, Ordine, disputandi licentia, cuius summos in utroque jure titulos petenti necessaria, ejusmodi materiam eligendam duxi, quæ in assidua forensi exercitatione sit celeberrima utilis ac maxime necessaria. Nam non immerto dubitatur, laudanda magis num sit industria, quam notanda curiositas eorum, qui minutissima quæq; antiquioris illius juris nimis anxie inquirunt, parum secum pensantes, quid aliquando in foro usui (qui tamen vel unice respiciendus) futurum sit. Quemadmodum enim ii, qui plurimum comedunt, non melius valent, quam ii, qui sumunt necessaria; ita non qui plura, sed qui utilia tractant, studiis suis bene consuluisse estimandi sunt. Utilitati igitur inservire cupiens, & in latifundio Juris circumspiciens, hanc, quam nunc propono, de **CONFESIONE**, materiam, utilitate, frequentia & necessitate nobilissimam deprehendi & elegi; de eaq; sequentes theses veritatis indaganda causa conscripsi; certo sperans si quedam, vel paulo plura, de hac difficultate & intricata materia parum plana proposuero, & ejus sublimitatem sublimi stylo non exequavero, me veniam impetraturum & benevolum lectorem hæc omnia non docendi, sed inquirendi gratia scripta esse recordaturum.

Ad rem ipsam itaque in Nomine Domini Nostri **J E S U** CHRISTI progrediens, ordinem deseruisse non videbor, si hujus Exercitationis duas constituero partes, in prima Confessionem in genere, ejusdemq; causas breviter pro instituti ratione adumbratus, in secunda vero præcipuas illius species separatim consideratus.

P A R S I.

De Confessione in genere.

Thesis I.

Confessionis vocabulum in jure nostro, non una accipitur significacione. Interdum enim sumitur pro cautione & promissione; l. 20. §. 1. de donat. l. 23. §. 2. C. ad Sētum Vellej. l. 25. §. f. de probat. idq; Græcorum more, qui cautionem ὁμολογίαν vocant. *Cujac. in expos. Nov. 1.* Ut plurimum vero denotat assertionem in afferentis præjudicium factam; quæ definiiri potest, quod sit certa facti alicujus assertio in ipsius afferentis præjudicium facta. Alii hanc Confessionem definiunt per iudicationem; *Cujac. in Parat. Cod. de Confes. arg. l. 1. ff. b. tit. & l. 56. de Re jud.* Alii per probationem: verum hæc potius ad confessionis effectum respiciunt, quam ut ejusdem naturam exprimant.

I I.

Præmissa definitione, paucis etiam ejusdem Divisiones attin-gam. Primò autem dividitur in veram, & quasi confessionem; & hoc exemplo contractuum, aliorumque negotiorum, quæ in jure nostro ita dividuntur. **Vera** est, quæ fit verbis, scriptura, vel aliis signis ad voluntatem declarandam idoneis. **Quasi Confessio** dicitur, quæ ex certo aliquo facto præsumitur, vel à lege interveniente fingitur. Secundo ratione objecti dividitur in **Civilem**, & **Cri-minalem**. Tertio Civilis iterum fit vel in **Jure**, vel in **Judi-cio**, vel extra judicium. Quarto etiam Criminalis in **Judicialem** & **Extrajudicialem** subdividitur. Quinto dis-pescitur in **Principalem** & **Incidentem**. Sexto in **Puram** & **Qualificatam**. Septimo in **Spontaneam** & **Extortam**. Et à quibusdam Octavo in **Obligatoriam** & **Liberatoriam**. De quibus omnibus ac singulis infra in parte agam speciali pluribus.

II I.

Confessio vera, sive proprie ita dicta, dependet ab arbitrio confitentis; quod interdum per se & intrinsecus movet ipsa Con-

Conscientia; quæ veluti præco Legis Naturæ, non tantum homini suggerit, quid in vita hac fieri, aut intermitti oporteat, quid justum aut injustum, honestum aut turpe sit; sed etiam ea, quæ jam facta sunt, mille testium instar in memoriam revocat, surdo verbere cædit, urit, urget, lacinat, donec aulæum tollat, & veritatem in lucem producat. An vero in foro poli excusatus habeatur, si quis negle-
Etis & contemptis hisce conscientiæ stimulis, nihilominus factum penes se retineat nec illud confiteatur, forum nostrum excedere, & ad plurimum Reverendos Theologos pertinere videtur; quibus et-
jam ejusdem decisionem jure meritoq; relinquo. In judicio inter-
rogatus omnino veritatem manifestare debet, ni velit amare men-
daciū, & ejusdem incurrere pœnam; de qua in *l. fin. ff. de R. V.*
N. 18. c. 10. l. 10. §. 1. ff de fidejuss. vid. Ames. de jur. consc. l. 5. cap. 54.
num. 45.

IV.

Interdum accedunt inopinata & **exterius moventia**; pro-
ut Divina Majestas frequentissime ludit circa sapientiam hominum,
dum occasione rei etiam levissimæ opertissima mox reddit apertissi-
ma, clamq; peracta, palam in scenam profert. Parricidium Bessus
quasi ab hirundine accusatus ipse prodidit pœnamq; luit: *Plutarch de sera Num. vind.* Noti sunt Ibyci grues, *Erasm. in Adag.* ubi plura.
Innocentiam imperfecti Symmachus & Boëtii, testatum est Theodo-
rico Veronensi caput piscis, *Crantz. l. 3. Suec. cap. 19.* & in aliis quid quandoq; somnium, terræ motus, ecclipsis, canis, gallicinium, amor
paternus, reverentia filialis, conjugalis affectio, & similia alia potue-
rint, passim historiarum monumenta tradunt. Denique hoc perti-
nent etiam vis, metus, persuasio, venia promissio & id genus alia:
item garrulitas & Trasonica jactantia, quæ etiam sæpiissimè præter
mentem dicentis ejusdem mentem omnibus aperit atq; patefacit, ut
plurimum cum summa & extrema pernicie; etenim magnæ res ab eo
sustineri non possunt, ut Curtius ait, cui tacere grave; quod tamen
homini facilimum esse rerum natura voluit: *vid. c. sit rector. l. dist.*
43. Bald, in l. 1. C. de fund. & salt, rei dom. 11. 66.

V.

Hæc autem vera Confessio fit i. verbis, ore nuncupatis; *l. 13. C.*

A 3

non

non num. pec. iisdemque ad factum aperiendum & demonstrandum idoneis & claris: Confessio siquidem, quæ non perspicua est & certa, sed dubia & obscura, pro non facta habetur. *Surd. decis. 291. num. 25.*
Hunn. Encyclop. jur. univers. p. 2. t. 16. c. 2. n. 12. Hinc si interrogatus: *an sponsalia cum Seja contraxerit*, respondeat: opus-ne est interrogatione? Ist es auch fragens werth? non confessus censetur sponsalia. Sunt enim hæc verba adeo dubia & obscura, ut in sinistram partem & negative quoq; accipi queant. *Carpzov. Iurispr. Forens, part. 4. const. 20. def. 9. n. 5.* Paria autem sunt nihil, & obscure respondere. *l. 11. §. 7. de Interrog. Sebast. Quazzin. defens. 32. cap. 1. num. 2.* & seqq. ubi plura tradit de obscura confessione. Si tamen interrogatus: an ex dimidia parte heres sit? simpliciter respondeat; heres sum; ad interrogata respondere, & se ex dimidia parte herem esse confiteri videtur. *l. 9. §. 5. ff. de interrog.* Interdum etiam verbum *credo* in judicio pro pure affirmativo acceptatur. *Mascard. de probat. concl. 345. n. 18. 2.* Literis d. l. 13. l. 26. depos. & paſim. quæ regulariter ab ipso confitente scribi vel subscribi debent; interdum tamen etiam ab alio scriptæ sufficiunt. 3. Etiam Nutu fieri potest Confessio, licet enim hæc nota animi motum non plane prodere videatur, ac in variis negotiis ad voluntatem declarandam non sufficiat: *l. 29. C. de testam.* quin tamen in plurimis Confessio quoq; nutu e. g. capite, oculis, digito, vel similiter facta, valeat & subsistat, nullus dubito. Expressè enim docet Modestinus JCtus, pleraq; solo nutu consistere. *l. 52. §. 10. de O. & A.* Quod etiam alii JCti exemplis illustrant atq; confirmant, in *l. 93. §. 1. de A. vel O. H. l. 65. §. 3. ad Sctum Trebel. l. 21. de Leg. 3. l. 22. C de Fideicom. l. 17. de Novat.* Et hoc modo necessario utuntur Muti literarum ignari. Reliqui vero, vel ex libero arbitrio, vel ob adversam valetudinem, pudorem, reverentiam aut alias ob causas.

VI.

Quasi Confessio à lege fingitur, vel ex facto, quod hic quoq; non factum continet, eliciter, *l. 4. §. 5. & l. 5. de his qui not. infam. l. 40. §. 1. de pact. l. fin. de Prævaricat. l. 10. C. ad L. Iul. de Adult. c. 4. x. de Præsumt. l. 9. l. 11. §. 4. 7. de Interrog. c. 2. de Confes. in 6.*

VII. In

VII.

In omni Confessione requiruntur Personæ habiles; quæ autem tales sint, facile intelligemus, si cognoverimus, quæ sint inhabiles. Quædam vero, quo minus confiteri possunt, natura, vel ipso facto impediuntur; ut sunt Infantes, qui fari non possunt. l. 1. §. 2. ff. de adm. tut. nec intelligunt, quid agitur, l. 1. §. 13. de O. & A. nullumque intellectum habent, §. 9. I. de inutil. stipul. & in iis, quæ intellectum; requirunt, non multum à furiosis distant, d. §. 9. Proinde nec cum tutoris autoritate, quid gestum sit, indicare & confiteri possunt. Infantæ ptoximi, quamvis aliquem intellectum habere incipient; quoad negotia tamen civilia, parum ab Infantibus distant. d. §. 9. ac nec scire, nec discernere possunt. l. 9. de Acquir. hered. imò quod vident plane ignorare dicuntur. l. 1. C. de fals. monet. unde nec hujusmodi ætatis confessiones recipiuntur; nisi tutoris accesserit authoritas: qua accedente ipso quidem jure subsistunt illorum Confessiones l. 6. §. 5. b. t. sed restituzione in integrum interdum eliduntur. d. l. 6. §. 6. b. t.

VIII.

Porro impediuntur Furiosi, qui mentis lumine carentes ignorantibus æquiparantur; l. 17. §. 11. de Injur. l. 2. §. 4. de jure Cod. nec certa illorum vox esse intelligitur, l. 7. pr. C. ad Sctum Trebell. atq; eo ipso ab omnibus actibus, in quibus scientia & judicium adesse debet, arcentur & repelluntur. Quamvis autem furiosi in stricta significatione ita dicti, illi tantum dicantur, qui cum ferocia & horrenda actionum vehementia dementes sunt, & à mente captis distinguuntur, l. 15. ff. qui tut. vel cur. l. 2. ff. de Inoffic. test §. 1. l. de Curat. l. 13. 14. ff. de offic. Præsid. hoc tamen in loco, sicuti & in l. 7. §. 1. de Curat. furies. l. 32. §. 6. de usufr. legat. l. 2. C. de Curat. furios. hoc vocabulum furiosi latius accipitur, ita ut etiam comprehendat mente captos; qui æque ac furiosi stricte accepti usu rationis destruuntur, & quod geritur, non intelligunt, eaque propter Confessione sibi præjudicare nequeunt. Si tamen furiosus dilucida habens intervalla, tempore induciarum aliquid de se affereret, non minus quam alii sanæ mentis homines sibi præjudicaret. arg. l. 6. C. de Curat. furios.

IX. Fu-

IX.

Furioso nemo similior nec proximior quam enormiter Ebrius
usu rationis & gestorum carens, qui æque ac furiosus, quid loqui-
tur, non intelligit. *vid. c. 5. distinct. 35. c. sane 15. q. 1. Gail. 2. Obs. 110.*
n. 24. ac per consequens non magis quam furiosus sua confessione
sibi præjudicat. Deniq; ad hunc ordinem pertinent **Dormientes**;
qui etiam quoad intellectum furioso ac dementi comparantur, *c. 3.*
x. de Baptism. ac mortuo similes esse dicuntur, secundum illud
Virgilii:

Dulcis & alta quies, placideq; simillima mortis:

Item:

Stulte quid est somnus gelidae nisi mortis imago.

Hinc si dormiens proprio vel artificio phantasiæ motu , aliquid
enarraret , eo ipso nec sibi, nec aliis præjudicium faceret. *arg. dd. cc.*
c. un. de homic. c. 8. caus. 15. q. 1. Dd. ad l. 1. §. 3. de A. & A. Poß.

X.

Aliæ Personæ prohibentur Lege; ut sunt Pupilli puber-
tati proximi; qui licet aliquem intellectum habeant , & doli ca-
paces sint: attamen cum' illorum judicium sit imperfectum, idcirca si-
cuti in aliis sine tutoris autoritate suam conditionē deteriorē facere
nequeunt, ita nec confessio illorū, deficiente tutoris authoritate ipsis
est nocitura, *arg. l. 6. §. 5. b.t.* Cæterum si tutoris authoritas inter-
veniat, ipso jure quidem illorum Confessio subsistit , sed haud raro
impertrata in integrum restitutione, ipsa vires suas amittit. *d. l. 6. §. 6.*

XI.

De **Minore** qui nondum XXV. ætatis annum implevit, sim-
pliciter quidem dicitur, quod ipse confiteri possit, *l. 9. §. 2. de Minor.*
atque à sua sententia restituatur, *l. 6. §. 6. b. t.* quæ restitutio con-
fessionis validitatem præsupponit. Enim verò , an, hoc semper &
ubiq; procedat & omnis omnino Minoris confessio yalida sit, illud in
dd. ll. non asseritur aut explicatur. Proinde ex aliis juris textibus &
ipsa juris analogia h̄c distinguendum erit: inter causas civiles & cri-
minales. Civiles vel respiciunt Minoris patrimonium , ejusdemq;
administrationem , vel ipsius personam citra bonorum respectum.
In illis , quæ ad bonorum administrationem pertinent , rursus
animad-

animadvertisendum, an Minor curatorem habeat, an vero non. Minor curatorem habens, in hisce causis, sua confessione, sine curatoris consensu, conditionem suam deteriorem facere non potest. **arg. l. 3. C. de in integr. restit.** Si vero nullum habet curatorem, jure civili distinguendum est inter judiciale, & extrajudiciale. confessionem: illa hoc in casu regulariter est nulla. **arg. l. 2. C. qui leg. pers. stand. in jud. §. 2. l. de curat. l. 54. pr. de re jud:** hæc vero ipso jure valida, sed restitutioni obnoxia. **arg. l. l. 3. C. de in integr. restit. junct. l. 6. §. 5. h. t.** In causis civilibus personam concernentibus etiam inter judiciales & extrajudiciales distinguendum videtur: illæ sine curatore jure subsistunt: **arg. l. 3. C. de nupt.** **l. 20. C. de ritu nupt.** ad has vero curatoris consensus necessarius censetur, **arg. l. 4. C. de auth. tut. l. 2. C. qui leg. pers. stand.** nisi causæ tales sint, in quibus Minor personam standi in judicio habet legitimam; quales sunt spirituales, & quæ ab iis dependent. **l. 3. de jud. in b. & ibi gloss.** Quod attinet causas criminales, jure Civili in hisce quoque Minor XXV. annis non potest stare in judicio, neque interrogari sine præsentia Curatoris; ne scilicet ex sua imperitia, vel juvenili calore, aliquid vel dicat, vel taceat, quod si esset prolatum, vel non expressum, prodesse ei poterat, & à deteriore calculo eum eripere. **l. 4. C. de auct. tut.** *Sebast. Guazzin. tract. de defens. Inquisit. def. 32. c. 32 n. 1. Menoch. de arbitr. jud. quest. lib. 2. cas. 268. n. 2. & seqq. Oldenkop. tit. 2. obs. Crim. 34 ubi n. 3. & seqq* scribit, spontaneas Minorum confessiones in judicio criminali sine curatore factas, nullas esse; & *Albericum de Rosat.* sæpe Minorum Confessiones, etiam in tormentis factas ob curatoris defectum impugnasse, sumnumque Judicium Neapolitanum secundum hanc doctrinam judicasse: quod ipsum tamen nostris moribus non observatur, teste *Bened. Carpz. tr. Crim part. 3. quest. 118. num. 33. Guazzin. d. def. 32. num. 2* ubi etiam alios hujus consuetudinis testes producit, nimurum *Boër. Casson. Affl. Clar. Menoch. &c.* Et quamvis hoc tantum de facto, contrâ expressas legum sanctiones ita fieri & observari afferat *Oldenkop. d. obs. n. 2.* attamen, quod jure positivo introductum, illud quominus contraria tolli queat consuetudine, nihil obstare video. **l. 32. de LL. § pen.** **I. de Iur. N. G. & Civ. l. 35. de Reg. jur.** Cæterum si Minor, li-

B cet

cet præsente curatore, adversarii dolo deceptus, vel judicis persuasione inductus, aliquid confessus sit, etiam in criminalibus causis, prævia causæ cognitione, ipsi in integrum restitutionem concedendam esse, docet post multos à se allegatos *Menoch. d. cas. 268. num. 3. seqq. Guazzin. d. def. 32. c. 32. num. 6. seqq. Odd. de Restit. in integr. p. 2. q. 65. num. 13.* Extrajudicialis criminalis confessio à Minore facta ipso jure non videtur esse nulla, licet curator absens fuerit, nec consenserit; in quantum vero ipsi præjudicet, & quid illi tribuendum sit, prudentis judicis erit aestimare.

XII.

Inter personas prohibitas aliquo modo etiam referendi sunt prodigi; qui in causis bonorum administrationem spectantibus, furioso comparantur, & quoad bona non magis quam pupilli & Minores sine tutori & curatore conditionem suam deteriorem facere, ac sua confessione sibi præjudicare possunt: *l. 6. ff. de V. O. l. 3. C. de in integr. restit.* Cæterum si matrimonium, vel crimen confiteantur, etiam absente curatore sibi omnino præjudicant. Nam comparatio inter furiosum & prodigum, procedit tantum quoad bonorum administrationem; & hujus tantum respectu prodigus furiosum exitum facere dicitur. *l. 1. de curat. fur. l. 12. §. ult. de tut. & curat.* In causis vero matrimonialibus, & criminalibus illa comparatio non habet locum; sed prodigus æque ac alii sua confessione sibi præjudicant, adeo ut ipsi nec à quæstionibus liberi sint. *Carpz. tr. Crim. p. 3. q. 118. n. 27.*

XIII.

Jure Civili quoad hanc confessionis materiam inter masculos & feminas nulla est differentia, & Feminarum confessiones in, & extra judicium factæ, æque ac Masculorum, suum operantur effectum. At nostris moribus Feminæ multis in locis, multisque in casibus juxta ac Minores curatore indigent, præsertim in judiciis. vid. *Carpz. Iur. For. p. 2. c. 14. d. 17. num. 3. & in tract. de jur. Fœmin. Decad. 3. & 9. pos. 2.* In Matrimonialibus tamen, sicuti etiam in criminalibus, illis quoque in locis, in quibus prædicta observantur, Feminæ sine Curatore personam habent standi in judicio legitimam *Carpz. Iur. Consist. l. 3. d. 31. n. 6, & seqq. & in tr. Crim. p. 3. q. 105. n. 58. & seqq.*

Reliquæ

XIV.

Reliquæ personæ, quæ nec impediuntur, nec prohibentur, cu-
juscunq; sint conditionis, valide confiteri possunt; tam patres, quam
filiifamilias; arg. l. 39. de O. & A. Plebeii & Nobiles; Subditi & Im-
perantes, Actores & Rei. De Procuratoris & Advocati, Tutoris
& Curatoris, aliorumq;! Administratorum confessione, an, & in quan-
tum valeat, ac Domino præjudicet, infra aliquid dicam.

XV.

Objectum Confessionis constituunt ea, quæ facti sunt, &
quidem præteriti, vel præsentis, modo naturam ac jus recipient. Ut
itaq; confessio valida sit, ratione Objecti primo requiritur, ut illud,
quod quis confessus est, facti sit. Tib. Decian. vol. 3. consil. 3. n. 88.
Nam in illis, quæ juris sunt, confessio neque prodest, neque obeit
confitenti. arg. l. 37. ff. de aur. & arg. leg. Tiber. Decian. vol. 1. con-
sil. 33. n. 69. & vol. 3. cons. 8. n. 85. Hunn. Encyclop. jur. part. 2. tit. 16.
cap. 2. n. 13. Guazzin. d. def. 32. c. 18. n. 1. 2. Petr. Surd. vol. 1. con-
sil. 403. n. 77. Jus enim per se certum est; l. 2. de Ignor. jur. & fact.
illudque Judex ipse scire, & non à litigantibus discere debet; secun-
dum vulgatum illud in Curiis Galliæ celebratum: *venite ad factum,*
Curia novit jus: Unde etiam Aristoteles 1. Rhetor. 1. Illorum, qui lit-
gant, est, demonstrare tantum rem ita se habere, vel non; utrum verò
justum vel injustum, ipsum judicem oportet cognoscere, atq; nullatenus à
controvertentibus addiscere. Hinc si aliquid, quod juris est à partibus
fuerit omissum, judex illud supplere debet. l. 1. C. ut quæ desunt Advoc.
part. jud. suppl. Licet itaque debitor in instrumento expresse dixe-
rit, centesimas usuras regulariter omni jure licitas esse; easdemque
creditori suo promiserit: hæc tamen Confessio juris nihil nocet con-
fitenti debitori; nec impedit, quo minus ipse creditori centesimas
usuras exigenti usurariæ pravitatis exceptionem opponere, & à Judi-
ce ab illarum præstatione absolvı possit. Juris enim quæstio nec in
partium, nec in Judicis est arbitrio; adeò ut si Judex secundum hanc
confessionem pronunciaret, & centesimas usuras regulariter licitas
esse judicaret, ejus sententia ipso jure non subsisteret, nullasque vires
haberet. l. 1. §. 2. ff. quæ sent. sine appell. l. 2. C. quando provoc. non
est necess.

XVI.

Facti autem vocabulum, uti in multis aliis locis, ita & hic etiam non facta comprehendit. Quamvis enim negationis per rerum naturam nulla dicatur esse probatio, l. 10. C. de non num. pec. l. 23. C. de probat. quin tamen simplicis quoque negationis confessio valida sit, nullum est dubium: v. c. si quis fateatur se nihil Titio credidisse, litem non denunciasse, debitum non solvisse, &c. sibi omnino præjudicat.

XVII.

SECUNDO requiritur ratione objecti, ut confessio fiat de præteritis, vel præsentibus, non verò de futuris. Futura promittimus, speramus, aut metuimus; præterita autem & præsentia confitentur. l. 4. ibi confessus est servum occidisse. l. 5. ibi qui stichum se deberet confessus est. l. 6. §. 2. l. 7. b. t. l. 23. §. fin. ff. ad L. Aquil. Hinc si quis afferat, se die Calend. Octobris testamentum facturum, decem Titio donaturum, à Cajo domum empturum, homicidium commisurum, hoc ipso quidem explicat de futuro animum, qui nunc est, & eatenus hæc assertio præsentis voluntatis confessio dici potest; verum ratione ipsius facti futuri non est Confessio, nihilque sibi præjudicat, nec ab illo consilio recedere prohibetur. vid. Grot. l. 2. de Jur. B. & P. cap. II. num. 2.

XVIII.

TERTIUM objecti requisitum est, ut illud, quod quis confitetur naturam ac jus recipiat; l. 14. §. f. de Interrog. hoc est, ut natura possibile sit, & jure subsistere possit. Unde si quis fateatur, filium suum esse, qui ætate major; aut Tubingæ dicat, se heri Lipsiæ pro Titio fidejussisse; vel affirmet, se hereditatem aditam iterum repudiassse; se nutu stipulanti promisisse; se fundum vendidisse, pretium vero nondum determinasse, &c. ipso jure nullæ sunt hæc confessiones; quia illa natura sunt impossibilia, hæc vero jus non recipiunt, l. 1. §. 2. de V. O. l. 4. C. de repud. hered. l. 88. de hered. inst. l. 2. §. 1. de contrah. empt. l. 9. C. cod. & utraque notorie falsa sunt. Confessio autem contra evidentiam facti nec probat, nec præjudicat confitenti Tib. Decian. vol. 3. cons 104. n. 26. et si in judicio facta fuerit, vel juramentum accesserit; cum juramentum tum demum valeat, & aliquid

aliquid operetur, si tres comites habeat, Veritatem, Judicium & Justitiam. cap. 26. x. de jurejur. Huc referunt Dd. etiam Confessionem non subditi, qui crimen læsæ Majestatis commisissæ afferit. **I Cti Argent.** vol. 2. cons. 71. n. 94.

XIX.

Confessionis ratio Formalis, qua ab aliis assertionibus distinguitur, in eo consistit, quod in afferentis præjudicium tendat. **l. fin. C. de accus.** ibi de se confessos: verbi gratia, si quis affirmet, se mutuam pecuniam, commodatum, depositum &c. accepisse, debitum recepisse, se homicidium, adulterium, furtum perpetrasse, confiteri dicitur. Verum si aliquid in sui favorem & commodum pronunciet, dicens, se Titio centum credidisse, Cajo debitum restituisse &c. non confiteri, sed testimonium in propria causa proferre censetur, quod nihil plane operatur. **l. 10. ff. l. 10. C. de testib.** Nov. 48. cap. 1. §. 1. ibi: *eo quod nostris declaratum est legibus, quacunq; quilibet pro se dixerit, aut scriperit, hæc nihil ei prodesse, neq; creditoribus præjudicare.* Fieri tamen potest, ut una eademque assertio diverso respectu confessio & testimonium recte dicatur: e. g. si quis dicat, se fundum Cornelianum possidere; hæc assertio si fiat à Reo in petitorio, confessio est; tendit enim in afferentis præjudicium, ut nimirum petitorio conveniri possit, & Actor ratione possessionis liberetur ab onere probationis, Reoque fides contra se habeatur. **l. 11. §. 1. de Interrog.** Cæterum in possessorio retinendæ possessionis e. gr. in interdicto utrubi vel uti possidetis, hæc assertio non confessio, sed testimonium esset in propria causa, cui nulla fides habetur. **dd. ll. & l. 7. C. de probat.** Sic etiam directa pignoratitia actione conventus, si rem, quæ repetitur, se pignori accepisse concedit, fatetur; si vero hypothecaria agens idem afferat, non fateri, sed testimonium in propria causa proferre dicitur.

XX.

Finis Confessionis in genere est veritas, quam Confitentes sua Confessione in lucem producunt, illamque quantum in ipsis est, adjuvant.

XXI.

Effectus est præjudicium Confitentis, ita ut Confessio interdum habeat vim sententiæ, & confessus judicatus videatur; interdum vero vim probationis, & contra confitentem fidem faciat, & quidem

pro diversitate specierum diversam; de quibus in sequenti parte speciali pluribus. In favorem Confitentis Confessio nihil operatur. d. l. 7. C. de prob. l. 10. ff. & l. 10. C. de testibus. Nov. 48 c. 1. §. 1. Unde si quis actum sine certa aliqua qualitate expedire non possit, licet assereret, qualitatem illam, quæ ei disponendi facultatem tribuit, intervenisse, tamen huic assertioni, non creditur, arg. l. 37. §. 6. de Leg. 3. Hart. Pistor. lib. 1. q. 37. n. 31. Carpz. I. F. p. 2. c 44. d. 10. in fine.

XXII.

Nec Tertio præjudicat confessio. l. 28. ff. ad Sct. Vell. l. 48. pr. Mand. l. 3. §. 1. de Sct. Silan. d. l. 7. C. de prob. Hunn. Encyclop. jur. univers. p. 2. t. 16. c. 6. n. 1. Vult. vol. 2. Cons. Marpurg. 30. num. 150. Unde confessio dotis acceptæ à marito facta, licet contra maritum probet, ejus tamen creditoribus non præjudicat, sed ipsi exceptionem non numeratæ dotis, uxori in concursu opponere non prohibentur. vid. Gail. 2. Obs. 81. num. 1. seqq. Carpzov. I. F. p. 1. const. 28. def. 73. Berlich. part. 1. concl. Pract. 65. n. 45. & seqq. Sic si uxor se ex adulterio concepisse fateatur, filio tamen hac sua confessione nihil præjudicat: sed maritus, hac uxoris confessione non obstante, filium tanquam suum agnoscere tenetur. Lex enim quem maritum esse videt, eundem & patrem esse præsumit & credit; l. 5. ff. de in jus voc. etiamsi adulter intervenerit. Nam in dubio interpretatio in meliorē facienda est partem; & honestum magis, quam in honestum præsumendum; Gail. 2. obs. 97. n. 7. nec contrariæ matris confessioni, licet jurata fuerit, in præjudicium filii quicquam credendum. l. 11. §. 9. ff. ad L. Iul. de Adult. l. 29. §. 1. de probat. Petr. Greg. Tholos. Synstagm. jur. univers. lib. 48. c. 10. num. 8. Philipp. Dec. conf. 657. per tot. Andr. Gail. d. obs. n. 8. ubi hanc sententiam dicit Communem, simulq; refert, Cynum, Regem quendam stultitiae arguere, quod ad matris confessionem, ac si ipse ex adulterio natus esset, abdicaverit se Regno.

XXIII.

Atq; hæc omnia etiam procedunt, licet Confessio facta sit in mortis articulo. d. l. 3. §. 1. de Sct. Silan. unde si Judex moribundus fas-sus sit, se iniquam partibus tulisse sententiam, hoc ipso tamen sententia & res judicata non redditur nulla. Bachov. ad Treutl. vol. 2. disput. 23. th. 5. lit. d. per l. 12. § 3. de bon libert. Quamvis enim supræmæ morientis voces magnum pondus habeant; nemoq; moriens salutis

salutis æternæ immemor esse præsumatur. *l. fin. C. ad L. Iul. Repet.*
l. 26. C. de nupt. tertio tamen præjudicare vel in fraudem legis ali-
 quid operari nequeunt, *Polidor. Ripa tr. de act. in mort. artic. cap. 28.*
num. 18. & c. 29. n. 2. Mascal. de prob. concl. 1080. n. 5. Surd. decis. 135.
num. 14. & conf. 382. num. 62.

XXIV.

Præterea quæ hactenus de præiudicio Tertii dicta sunt, non
 tantum in civilibus, sed etiam, & quidem maxime in criminalibus
 locum habent; in quibus veteris juris authoritas de se confessos, ne
 interrogari quidem de aliorum conscientia sinit. Nemo igitur de
 proprio crimine confitentem super conscientia scrutetur aliena,
 inquiunt Imperatores *in l. f. in fine C. de Accusat.* Et Clemens III.
 Pontifex, cum secundum utriusque juris statuta, inquit, de se con-
 fessi super aliorum conscientiis interrogari non debent, & de reatu
 proprio confitentis periculosa confessio, non est adversus quem-
 libet admittenda. *cap. 1. x. de confess. Mascal. de Prob. conclus. 386.*
 Licet itaque Titius fateatur se cum Seja adulterium vel stuprum
 commissæ, hæc tamen sola Titii confessio deficientibus aliis pro-
 bationibus & indiciis Sejæ non præjudicat, *arg. l. 17. §. 6. de Adult.*
dl. f. C. de Accus. Carpz. tr. Crim. p. 3. q. 22. n. 77. & seqq. adeò ut
 nec juramentum purgationis Sejæ deferri, (non obstante *c. 5. x.*
de Adult.) multoque minus ipsa torturæ subjici; sed Titius pro-
 pterea injuriarum & ad recantationem conveniri possit. *Carpz. dl.*
& q. 96. n. 42. & seqq. & *in Iur. For. p. 4. c. 45. d. 3. & seqq.*

XXV.

An vero Administratores & aliorum vices gerentes Con-
 fessione sua negotiorum dominis, & principalibus suis præjudi-
 cent, de eo non omnium, nec de omnibus eadem est sententia. De
 Tutoribus & Curatoribus negative respondet Ulpianus *in l.*
6. §. 4. ibi: sed an & ipsos tutores vel curatores fateri sufficit, videa-
mus, & non puto sufficere, ff. b. t. quem tamen §. communiter Dd.
 specialiter accipiunt, & restringunt ad voluntariam absque juris ne-
 cessitate in jure coram Prætore factam. Ceterum si tutor vel cu-
 rator, in judicio ex juris necessitate respondens quid fateatur, etiam
 pupillo & minori, quos ipse repræsentat, præjudicat & nocet. *Gil-*
haus.

haus. in arb. jud. cap. 6. part. 1. §. 115. Hunr. Encyclop. jur. univ. p. 2. t. 16. c. 6. num. 9. Zaf. ad d. l. 6. §. 4. Perez in Cod. b. t. n. 11.

XXVI.

In Procuratore distinguendum est, an speciale habeat mandatum ad confitendum, an vero non. Priori in casu quin mandanti præjudicet, nullum est dubium. *l. 20. pr. ver. Idem est in eo ff. de Interrog. l. 1. l. f. C. de errore advocat.* Hunn. d. c. 6. num. 4. Zaf. ad d. l. 6. §. 4. b. t. num. 3. Speciale autem mandatum etiam adesse censetur, si confessio Procuratoris facta sit præsente, & non contradicente domino. *arg. l. 6. l. 18. ff. Mandati. l. 1. l. f. C. d. error Advocat.* Hunn. d. c. 6. num. 7. Zaf. d. l. num. 4. In Posteriori casu Procurator sua sponte Confessus domino non præjudicat; *d. l. 6. §. 4. b. t.* si vero à Judice jussus responderit, & adversarii intentionem confessus fuerit, domino omnino nocet *arg. l. 39. pr. de Procur. Zaf d.l. num. 4.* Advocati Confessio clienti non affert præjudicium, nisi facta sit ipso mandante vel ratificante, *arg. d. l. 1. l. 3. C. de error. advoc.* Hunn. d. c. 6. num. 8. Steph. Gratian. *discept. forens. tom. 1. cap. 3. num. 8. & seqq.* Quoad Successores distinguendum inter universales & singulares. Universalibus v. g. heredibus & bonorum possessoribus, confessio defuncti omnino præjudicat *arg. N. 43. in pref. l. 11. de divers. & temp. prescript.* Anton. Faber in Cod. lib. 4. tit. 14. def. 17. Cravett. part. 1. consil. 125. num. 2. In singulari, v. g. donatario, venditore, cessionario, distinguunt Dd. an confessio facta fuerit ante illam singularem successionem, an vero post illam; priori in casu, confessione antecessoris etiam singulari successori præjudicium fieri tradunt, secus vero in posteriori. Hunn. d. c. 6. num. 2. 3. 13. 14. Surd. decis. 218. num. 6. Gratianus tom. 4. discept. forens. c. 662. numer. 8. Severinus Oliyar. part. 1. dec. 872. num. 1.

PARS SECUNDA.

Thesis XXVII.

Absoluto tractatu generali, veniamus ad specialem, præcipuas confessionis species, earumque effectum consideraturi. Sicuti autem Imperator noster semper veras & proprie dictas species præmitit,

mittit, & impropriis ultimum locum assignat, uti videre est in pr. I. de Leg. patr. tut. t. t. I. de Leg. par. tut. §. 2. I. de usufr. §. 44. I. de Rer. divis pr. I. Quibus non est perm. fac. test. §. f. I. de mil. test. §. t. I. de pup. subst. pr. I. de obl. quæ ex quasi contr. pr. I. de obl. quæ ex quasi delict. §. 7. I. de Act. l. 70. de R. V. l. fin. ff si quid in fraud patr. Ita & hic quoque primùm veram proponam Confessionem, & post illam etiam quasi Confessionem, ejusdemq; effectus perstringam.

XXVIII.

Vera Confessio quid sit, iam supra delibavimus. Quoad ejus effectum videndum, an in causis civilibus, in quibus scilicet agitur ad privatum Actoris interesse, facta sit; an in criminalibus. In Civilibus iterum distinguendum: an in Jure, an in Judicio, an extra Judicium intervenerit. In Jure facta dicitur, quæ facta est coram Prætore summariter causam cognoscente. Licet enim olim Prætores & Magistratus iphi, propter negotiorum multitudinem, & occupationum aliarum molem, regulariter & ordinariè non judicabant, & causas controversas sua sententia determinabant: ipsi tamen de omni causa adeundi erant, ut causa summariter cognita, actori potestatem agendi concederent, & Judicem constituerent, secundum formulam illam judicaturum. Et quæcunque coram Prætore ita peragebantur in jure facta dicebantur. *Vultej. tr. de Iud. l. 3. c. 1. n. 4. & seqq.*

XXIX.

Ut autem hæc in Jure facta confessio suum operetur effectum, primo requiritur, ut facta sit coram **Magistratu competente**. Sicut enim sententia ab incompetente Judice lata, est ipso jure nulla. t. t. C. si à non compet. judic. ita etiam confessio coram incompetente Magistratu facta, non censetur in Jure facta, sed tantum pro extra-judiciali habetur. *Hunn Encyclop. jur. univ. p. 2. t. 16. cap. 2. num. 22.* Hinc Clericus coram Judice seculari confessus, non habetur pro judicato, nec ex illa Confessione condemnatur. c. 4. x. de judic. Idem dicendum, si studiosus ad Magistratum oppidanum citatus aliquid coram ipso confiteatur. *Perez. C. h.t. n. 5.* Nec refert, sive judex sit in competens ratione potestatis, sive ratione subjectionis Rei. *Lanfranc. in cap. quoniam. verb. confess. n. 14. de probat.* Illud hic queritur, an

C

Judex

Judex necessario ad bancum sive tribunal sedere debeat? Quod communiter Dd. affirmant, per l. 4. §. 8. de Damno infecto. l. 4. C. de Rep. vel abst. her. l. 6. C. de Sent. d. c. 4. x. de jud. ibiq³ Coler. num. 42. 49. Hunn. d. l. c. 2. num. 2. Hahn. ad Wesenb. π. b. t. n. 1. Reformat. Francofurt. p. 1. tit. 29. pr. Unde etiam Actuarii semper annotare, & actis publicis inscribere solent, & debent, quo præsente hoc vel illud factum sit, docente. Zaf. ad l. 6. §. 3. ff. h. t. n. 1.

XXX.

Secundo requiritur Adversarii præsentia, l. 6. §. 3. h. t. denuo ad exemplum judicati. l. 47. de Re jud. Præsens autem & ille dicitur, qui per alios comparet, ita ut sufficiat procuratorem, tutorem, vel curatorem præsentem esse. d. l. 6. §. 3. Interdum etiam Magistratum, vel Secretarium, ejusdem vices sustinere, & Confessionem acceptare posse, ita ut accedente partis adversæ ratihabitione, ipsa subsistat & valida sit, docet. Perez. b. t. & Dn. Hahn. d. l. p. 539. arg. l. 1. §. 15. de Magistr. conven. vid. Zaf. d. l. n. 2. & 3. Quidam etiam acceptationem partis hic necessariam esse contendunt; sed contrarium, solam scilicet adversarii præsentiam sufficere, qui tacite acceptare videtur alterius confessionem, verius esse existimo cum Sichard. ad l. 4. C. de pac^t. & Vmm. d. l. n. 28. per d. l. 6. §. 3. h. t. confer. Myn. cent. 4. obs 51. Mascard. de probat. concl. 347. Denique requiritur Tertio, ut certam rem vel summam contineat confessio. l. 6. pr. b. t. arg. l. 11. §. 7. de Interrog. §. 32. I. de Act. & t. t. C. sent. quæ sine cert. quant. Hinc ambigua proferens urgeri potest, ut certum definiat; Col. Iur. Arg. b. t. th. 5. & 7. Perez. d. l. n. 8.

XXXI.

Effectus hujus Confessionis in jure factæ in eo consistit, quod non tantum vim probationis, sed simpliciter facta etiam vim sententiæ & rei judicatae habeat, secundum vulgatum juris nostri regulam: **Confessus in jure habetur pro judicato, & sua quodammodo sententia videtur damnatus:** l. 1. l. 6. pr. §. 2. & t. t. de confess. l. 1. C. h. tit. l. 56. de Re jud. adeò, ut ulteriori cognitione & condemnatione opus non sit. Nam Prætores, cognita causæ justitia, constituebant Judices pedaneos, ut ipsi de causæ veritate cognoscerent, & ea cognita, sua sententia, secundum formulam præscriptam, causam

causam illam controversam determinarent. At vero si in jus, hoc est, ad Prætorem juris experiundi causa, vocatus, absolute negotium ab adversario propositum confitetur, nulla ulterior de ejus veritate necessaria est cognitio & declaratio; quippe quæ ex propria rei confessione abunde constat, ita ut de ea ulterius querere, plane supervacaneum sit, ipseq; confessus suam sententiam infirmare non possit.
l. 29. §. 1. de donat. fac. l. 11. §. 1. de Interrog. l. 13. C. de non num. pec.
 Unde etiam dicitur, in talem confessum nullas esse judicantis partes,
l. 25. §. f. ff. ad L. Aquil. & ipsam confessionem paratam habere executionem, æque ac rem judicatam. Matth. Coler. de Proces. Execut. p. 3. c. 2. n. 26. Petr. Surd. decis. 309. n. 15. Hunn. d. l. p. 2. t. 16.
cap. 3. n. 6. Hinc confessio perinde ac judicato statim dies solutionis assignatur, *l. unic. C. h. t. l. 6. § f. ff. h. t. l. 21. de jud. l. 71. §. 2. & Leg. 1.* & quidem trigeminus, secundum Legem XII. tabul; cuius verba refert Gellius lib. 15. cap. 13. & lib. 20. c. 1. ibi: *æris confessi, rebus jure judicatis triginta dies justi sunt.* & rationem explicat, Bachov. *ad Treutl. vol. 2. disp. 23. th. 5. lit. c.* Postea hoc tempus triginta dierum in duos menses, *l. unic. C. Theodos. de usur. rei jud.* à Justiniano vero Imperatore in quadrimestre. *l. 2. C. de usur. rei jud.* ac consuetudine varie mutatum est. *Coler. d. l. p. 3. c. 6. n. 7. Rittershus. ad LL. XII. tab. claf. 3. c. 11. vide Reformat. Francofurt. part. 1. tit. 29. §. 1. ibi:*
Bnd soll demnach dem Beklagten / wann es eine Schuld belanget/ auf seine Bekanntschaft zürliche Zeit vnd Frist/ zu Bezahlung gegeben vnd angesetzt werden: nach Gelegenheit vnd Willkür der Schöppfen/ ic. Würtemb. Landr. p. 1. tit. 33. pr. Hoc autem temporis spacium, ad illos tantum casus pertinet, quibus confessi vel condemnati quantitatam solvere & præstare tenentur. Cæterum si quis se adversario certam speciem, quam apud se habet, debere confessus sit, eidem, qui facile restituere potest, quatuor menses concedere absurdum esset.
Bash. ad Treutl. v. 2. d. 11. th. 5. lit. C.

XXXII.

Sicuti autem adversus judicatos actio judicati, qua post legitimum tempus elapsum reus iterum in judicium vocatur, conceditur: ita etiam adversus in jure confessos, ad exemplum & similitudinem judicati, actio *æris confessi*, sive Confessoria conceditur. *l. 23. § fin. l. 25. §. 1. ff. ad L. Aquil.* Veteres enim Romani omnia ordine, ut quam

maxime violentia abesset, fieri voluerunt; præsertim cum dubitari possit, an confessus sit reus; & insuper in causa executionis exceptiones variae opponi queant; simulq; novæ accedant præstationes, quæ ad judicatione opus habeant. arg. l. f. C. de usur. rei jud.

XXXIII.

Hæc vero Actio, quæ in hunc confessum datur, in jure vocatur Confessoria, l. 23. §. f. l. 25. §. 1. ff. ad L. Aquil. & à Dd. actio æris confessi, confessi, ex confessio, C. I. A. h. tit. th. 7. n. 3. nihilq; est aliud, quam Actio personalis, quæ datur adversus in jure confessum, ad consequendum id, quod ex facto confessio, adversario debetur. De hac actione primo dicitur quod sit Actio, per d. l. 23. § fin. l. 25. §. 1. ff ad L. Aquil. Sunt quidem, qui hanc actionem non veram & distinctam actionem, sed tantum aliarum actionum adjectitiam qualitatem esse existimant: verum quamvis hæc actio cum aliis, ex facto confessio alias competentibus actionibus in quibusdam conveniat, & earum naturam sequatur; ipsam tamen separatam, & à prioribus distinctam ac plane novam esse actionem, verius videtur. Cum revera actor in hac actione, novam petendi causam adducat & novo nitatur fundamento; quod etiam agnoscit. Sachov. in tr. de Action. disp. 8. th. 4. p. 103. dicens: Et exemplo actionis de confessu, quæ itidem omnino nova esse videtur. Vm. de proc. disp. 13. th. 11. n. 51. ibi: ut propterea vel actione confessoria. vel pristina agere queat: quibus verbis ipse quoque hanc à pristina distinguit actione.

XXXIV.

Secunde dicitur quod hæc Confessoria actio sit personalis; ex quo satis appareat, per confessoriam actionem, hic non intelligi illam servitutum vindicationem; quæ citra omnem controversiam Realis est. §. 2. I. de Ad. Hanc autem actionem personalem esse, exinde liquet, quod actor illam intendens, sese fundet non in jure in re constituto, sed potius in facto & confessione adversarii. Unde etiam dicitur in l. 4. b. tit. confessum ex confessio teneri; nihilque aliud in hac actione queritur, quam an reus confessus sit, nec ne, l. 56. de Re jud. Eo ipso enim, dum quis simpliciter adversarii intentionem coram Prætore concedit, & confitetur; satis aperte omni contentioni renunciare, & adversario satisfactionem promittere videtur; ac propte-

propterea etiam in ipsum hæc actio conceditur. Cui accedit comparatio hujus actionis cum actione judicati, & ex jurejurando, l. 56. de Re jud. quæ sine controversia sunt personales. §. 11. I. de Action. Bach. tr. de Oct. disp. 8. th. 4. p. 103. Et quamvis scrupulum hic moveat textus. in l. 6. §. 2. de confess. ex quo patet, quod etiam ille, qui rem adversarii vindicantis esse fatetur, pro judicato habeatur: breviter tamen dicendum; hoc quoque in casu à confessio rem illam peti principaliter non jure dominii, sed ex Confessione in jure facta, quæ est causa, in qua actor hujus actionis intentionem fundat. Unde etiam hæc actio tantum datur contra confessum, non vero contra tertium possessorem, arg. l. 9. §. f. 1. 10 ff. de jurejur. junct. l. 56. de Re jud. Quoad reliquas hujus actionis qualitates, etiam notandum, quod ipsa ratione objecti sit rei persecutoria, licet prior sit poenalis; arg. l. 6. § fin. de Re jud. ratione præscriptionis, perpetua: arg. dl. 6. § f. ratione formæ accidentalis, stricti juris: arg. §. 28. l. de Act. & uti pleræque aliæ, ita & hæc confessoria dividitur, in directam & utilem l. 23. §. f. l. 25. §. 1, ad L. Aquil.

XXXV.

Causa efficiens remota est jus civile. Cum enim confessi in LL. XII. Tabb. judicatis comparentur; Rittersbus. in LL. XII. Tabb. cl. 3. c. 11. & postea adversus judicatos specialis actio fuerit concessa; ad ejus exemplum & similitudinem, etiam hæc confessoria, contra in jure confessos est introducta. Quo autem tempore hoc factum, & quis ejusdem fit author, de eo certi nihil invenire potui. Causa proxima est confessio in jure facta, quareus actoris intentionem absolute concessit, & veram pronunciavit, ac eo ipso lese quodammodo sua sententia condemnavit, l. 1. b. t. simulque satisfactionem promisit, vel promisisse videtur. Illud nihil refert, sive hæc confessio facta sit de actione Personalis, sive de Reali; in Petitorio, sive in Possessorio Judicio; l. 6. §. 2. b. t. modo quis tale factum confessus sit, ex quo alias quoque, si verum, efficax datur actio. Rationem, propter quam hæc actio videatur inventa, supra indicavi, quod nimirum Veteres Romani omnia ordine fieri, & violentiam omnino abesse, voluerint. Legibus XII. Tabb. si confessus triginta illos dies solutioni assignatos,

sine solutione elabi patiebatur; adversarius confessum privata authoritate capere, sive prehendere, ac in jus ducere poterat; ubi si non ipse solvebat, vel vindex pro eo interveniens ipsum, facta ex promissione, vel solutione, non liberabat, eundemque tanquam servum sibi à Prætore addictum adversarius secum domum ducebat, & vincitum seu nexus retinebat; Rittersh. d. l. p. m. 196. & seqq. Quod tamen sequentibus temporibus mutatum est. vid. Rittersh. d. l.

XXXVI.

Datur hæc actio confessoria adversario, cuius intentionem Reus in jure absolute confessus est, ejusque successoribus. Adversus confessum, ejusdemque heredes; arg. l. 6. §. f. de Re jud. non non vero contra tertium. arg. l. 9. §. f. de jurejur. & per ea, qua supra in parte generali dicta sunt. vid. l. 25. §. 1. ad L. Aquil.

XXXVII.

Objectum hujus actionis est illud ipsum, quod ex causa confessa alias esset præstandum; Cui accedit centesimarum usurarum, aliarumque accessionum præstatio. arg. l. 1. C. de usur. rei jud. l. pen. depos. l. 1. §. 2. de usur. l. 7. C. de Except. rei jud. Instituitur autem hæc actio, non principalis quæstionis cognoscendæ & judicandæ gratia, sed potius, ubi æstimatione opus est, rei æstimandæ & præstandæ causa. l. 25. §. 1. ad L. Aquil. l. 7. pr. ibi, arbiter ad restituendum datus, h. t. l. 56. ff. de Re jud. Atque hac ratione etiam in hunc confessum fertur sententia, ipseque ad æstimationem, & rei restitutionem condemnatur. C. I. A. d. th. 7. num. 4. & 10. observato processu pene executivo, Bach. tr. de Act. diss. 8. th. 4. p. 103. & ordine in l. 15. de Rejudicat. præscripto.

XXXVIII.

Licet autem Reus hac Confessoria actione conventus reguliter absolví haud possit; etiamsi falso confessus sit: l. 4. h. t. l. 23. §. f. ad L. Aquil. dantur tamen certæ causæ, propter quas etiam in jure confessus, vel in integrum restituitur, vel absolvitur; idque vel à Prætore, vel ab arbitro dato: l. 7. h. t. ut est minoris ætas, l. 6. §. 5. h. t. error, l. 2. h. t. contrarietas naturæ & juris, l. 13. pr. & seq. l. 14. §. 1. de interr. absentia adversarii, l. 6. §. 3. h. t. præscriptio triginta annorum &c. De Appellatione quæritur, an illa in hac

hac actione locum habeat? Quod regulariter negandum. Appellatio enim introducta est ad emendandam sententia iniquitatem, l. 17. ff. de Minor. In jure autem confessus sua sententia quodammodo videtur condemnatus; l. 1. b. t. quam ipsemet iniquitatis accusare haud potest. Præfertim cum confessio rite in jure facta notorium judicat; l. generaliter, C. de non num. pec. in quo etiam regulariter appellatio denegatur; cap. 3. §. si autem. de Appell. in 6. quo facit. l. un. C. b. t. l. 65. de Re jud. cum quibus etiam convenit Reformatio Francofurtensis, parte. 1. tit. 43. §. 5. Item magister appelliren welcher die Elag und Forderung im Gericht öffentlich gestanden hat. Besold. tr. de Appell. c. 6. numer. 1. Hunn. Encyclop. univers. jur. p. 2. t. 21. c. 9. num. 20. Bach. ad Treutl. vol. 2. d. 33. th. 3. lit. I. ubi hoc limitat, si confessus justam erroris causam allegaret. Arum. dispt. ult. th. 17. quod etiam admittendum videtur, si in aestimatione, vel executione modus excedatur. arg. c. 43. x. de Appell.

XXXIX.

Hodie, si Reus citatus, statim ante litem contestatam coram Magistratu debitum certum pure & simpliciter fatetur, Magistratus, omissa illa confessoria actione, nobili Judicis officio, executive contra illum confessum procedit, Hilliger in Donell. Encl. l. 17. c. 3. lit. L. C. I. A. de Re jud. th. 89. Gail. 1. obs. 113. num. 9. vide Reformat. Francofurt. part. 1. tit. 29. §. 1. Cæterum si Reus non pure, sed addita & opposita solutionis, compensationis, remissionis, &c. exceptione Actoris intentionem fateatur; Actorque allegatam exceptionem in jure agnoscat & confiteatur, à Magistratu actio denegatur; aut si postea de confessione dubitetur, exceptio ad exemplum rei judicata vel juramenti conceditur. arg. l. 9. pr. ff. de jurejur. juncta l. 56. ff. de Re jud.

XL.

Succedit Confessio in Judicio, h. e. apud Judicem pedaneum facta. Supra enim dictum est, olim non ipsos Magistratus judicasse, sed ad hoc alios dedisse; qui pedanei vocabantur; & quæ coram illis siebant, in Judicio fieri, dicebantur. Unde etiam confessio coram pedaneo Judice facta, Judicialis, vel in judicio facta appellabatur. Ut autem hæc tanquam judicialis valeat & subsistat, I. requiritur, ut fiat coram judice competente; arg. l. 1. ff. 1. t. 1.

I. & t. t. C. si à non compet. jud. c. 4. x. de judic. *Hunn. Encyclop. Iur. univers. p. 2. t. 16. c. 2. num. 17. seqq.* ubi docet, non sufficere ut coram actuario fiat. II. Adversario præsente, arg. l. 6. §. 3. b. t. ita tamen, ut etiam illud, quod in scriptis judicii offertur, & adversario communicatur, in judicio propositum videatur, & confessio in illo facta, pro judiciali habeatur. *Zaf. ad l. 6. §. 3. b. t n. 1.*
III. Requirunt Dd. ut hæc confessio fiat, post litis contestationem; quæ est principium & initium Judicij proprie ita dicti l. 15. ff. rem ratam hab. *Rutig. Ruland. tr. de commiss. p. 4. l. 3. t. 10. num. 22. Hunn. d. l. p. 2. t. 16. c. 2. num. 25. Zaf. d. l. in fine num. 1.* Illud nihil refert; sive in ordinario, sive in summario Judicio confessus quis sit. *Bened. Capra de Notorio. membr. 1. num. 28. & seqq. Hunn. d. t. 16 c. 3. num. 7.* Confessio coram arbitro compromisario facta, licet proprie loquendo judicialis non sit: quia tamen compromissa ad similitudinem judiciorum sunt redacta, l. 1. ff. de arbitr. proinde hæc quoque confessio judiciali comparatur, & ad judiciale à Dd. refertur. *Bart. in l. un. C. b. n. ult. Marant. inspecul. p. 5. c. de confess. num. 31.* de qua sententia in foro non discedendum esse, arbitratut *Vmm. disp. de Process. 13. th. 9. num. 37. in fine.* Denique etiam ad judiciale referunt Dd. confessionem in precibus Principi oblatis factam; *Iason. in l. cum te. num. 2. C. de Transact. de qua tamen vide Gœhauf. in arbor. Iudic. c. 6. p. 1. §. 113.*

XL I.

Hæc confessio Judicialis tantæ virtutis & efficaciz non est, ac præcedens in jure facta; quippe quæ non habet vim rei judicatæ; nec in judicio confessus pro judicato habetur; sed ipse condemnatus est à judice; qui ex formula condemnare, vel absolvere necesse habet. *l. 74. pr. ff. de jud.* Plene tamen probat contra Confitentem, ejusque heredes; ita ut hæc probatio plenissima, & omnium probationum nobilissima ac regina dicatur, *Reinking. de R. S. & E. l. 1. cl. 2. c. 2. num. 36. Wesenb. conf. 4. num. 14. Gail. 2. obs. 106. Myns. Resp. 1. num. 6. Vmm. d. l. th. 11. num. 52. & Refor. mat. Francof. part. 1. t. 19. §. 1. ibi: Die stärkste Beweishandlung Bürtenb. Landr. part. 1. tit. 33. pr. ibi: Die beste und stärkste Beweisung sc.*

weisung/ce. Utpote quæ infringit omne aliud probationis genus, etiam per testes, vel instrumenta factum: ipsa vero nullis contrariis infringitur probationibus; *Surd. decis. 10. num. 12. Tib. Decian. vol. 4. Rep. 40. numer. 44. Hunn. d. l. p. 2. t. 16. c. 3. num. 8. & 9.* adeo, ut etiam præsumptionem juris & de jure, vincat, *gloss. in Auth. sed jam C. de don. ant. nupt. ibiq. Dd. Hunn. d. c. 3. num. 10.* quæ tamen alias in contrarium probationem non admittit. *c. 30. X. de spons.* Imò licet omnibus probationibus renunciatum, vel in causa conclusum sit, tamen huic probationi locum esse, docent *Dd. in l. 39. C. de Appell.* quod alii extendunt ad causam jurejurando definitam; *Omphal. de Vsurp. Leg. l. 5. c. 10. fol. 159.* confer. *Bald. in rubr. C. de probat. Mascard. d. l. concl. 344.* nec non ad ipsam rem judicatam, quam ob talem confessionem retractari posse, tradit, *Sichard. ad l. 5. in f. C. de Transact. Schickard. in Log. jur. loc. 1. c. 1. p. 97. Schrad. de Feud. p. 9. sect. 13. n. 64.* & post alios à se allegatos, *Hunn. d. c. 3. num. 11.* Denique etiam addunt, quod hæc confessio in una instantia facta; etiam præjudicet in altera; *Anton. Faber. in Cod. lib. 4. l. 14. def. 17. n. 1.* & in uno judicio facta, noceat quoq; in alio; licet primum fuerit summarium, posterius vero plenarium. *Guido Papa decis. 254. Steph. Gratian. discept. forens. tom. 5. c. 869. num. 7. Surd. decis. 179. num. 12. Hunn. d. t. 16. c. 4.* Nec impeditur hic, judicialis confessionis effectus, per processus nullitatem; quam ipsa sanat, & defectum processus supplet; modo non ex iudicis incompetentia descendat. *Sichard. ad l. cum te. num. 8. C. de transact. Rutig. Ruland. p. 4. l. 8. c. 10. num. 20. Hunn. d. t. 16. cap. 3. num. 2. & seqq.* Error tamen, Minoris actas, & alia superius recensita, huic probationi haud raro sunt impedimento.

XLII.

Postquam vero Magistratus ipsi iterum judicare cœperunt, differentia inter Magistratum ac judicem pedaneum; inter jus & judicium, & inter confessionem in jure & in judicio factam, ab usu recessit; Ita tamen, ut, si Reus ante litem contestatam fuerit confessus, judex statim ad executionem procedere possit, & terminū ad solvendum assignare; si confessio vero litis contestationem sequatur, sententia condemnatoria opus sit. *Bach. ad Wesenb. b. t. lit. g. Hahn. ad d. t. num. 8. p. 541.* Quamvis Wesenb. d. l. existimet, con-

D confessionem

fessionem hodie indistincte, tantum vim probationis habere. *vid.*
Hahn d.l. Jure Francofurtensi, confessioni coram tribunali facta generaliter effectus rei judicatae attribuitur, hisce verbis: *Die Bekanntschaft so ein Partien selber vor sijendem Gericht/ mündlich oder schriftlich thut / ic sondern wird es eben darfür gehalten / als were es mit Brüheit vnd Recht / albereit erkennet vnd geurtheilet.* Idem traditur, in *Jure Provinciali Würtembergico*. p. i. t. 33. pr.

XLIII.

Extrajudicialis nunc sequitur, quae sit extra jus & judicium; & neque testes, neque scripturam, nec adversarii praesentiam, multo que minus ejus acceptationem necessario requiri, uti ex sequentibus patebit. Fit autem vel literis, vel verbis, vel nutu. Primum agemus de literali confessione; cuius effectum exprimit trita illa regula: *scriptura etiam privata, plene probat contra scribentem*, *Auth. si quis, & l. 11. C. qui pot. in pign. l. 6. l. 7. C. de prob. junct. l. 57. pr. de adm. tut. ejusque heredes; licet testes acceſſerint, vel subscripterint nulli; arg. l. 26. §. f. depos. l. 13. C. de non num. pec. d. l. 7. l. 24. C. de probat. d. l. 11. l. 40. pr. de pact. add. l. 24. C. de Transact. modo scripture legitime fuerit recognita; fac. l. 21. C. ad L. corn. de Fals. Facin. 11. contr. 29. 30. 31. 32. & seqq. quod nimurum à confitente fuerit scripta, vel subscripta. Subscribens enim præsumitur fateri omnia, quae in scriptis continentur: l. 47. §. 1. de pact. l. 126. §. 2. V. O. l. 26. §. 1. de pign. l. 8. §. 15. quib. mod. pign. solv. l. 6. §. 1. de edend. l. 1. §. 1. de consti. Princ. l. 50. de Acqu. hered. Auth. Quod sine. C. de Testam. junct. Auth. si modo. C. Fam. ercisc. cap. 6. de Rebus Eccles. non alien. Mascar. concil. 1395. & 1348. Carpz. I. F. p. 1. const. 17. d. 16. & p. 3. const. 3. d. 1. siue subscriptio sit generalis, siue specialis. Bald. in d. Auth. si quis, & Dd. ad l. 126. V. O.*

XLIV.

Hæc autem ut procedant, præterea in confessionibus Obligatoriis, quibus sc. quis se alteri obligatum fatetur, necessarium est, ut causa debendi simul exprimatur. l. 26. §. 1. l. 27. depos. l. 25. §. f. de prob. l. 13. C. de non n. pec. c. 14. x. de Fide instr. Carpz. c. 17. def. 39. deficiente enim debiti fundamento, ipsius confessionis deficit fundamentum. Sicuti enim debitum fundatur in causa; l. 49. in fin. ff. de pecul.

de pecul. l. 5. in f. C. de non num. pec. ita confessio fundatur in debito; utpote cuius finis est, non ut constitut debitum, sed ut constitutum b. f. demonstret & agnoscat. Causæ itaque omissio Confessionem vitiat & enervat. *Gratian. disc. forens. c. 480. num 4.* Unde etiam Jure Francofurtensi Actuarius nullas confessiones actis publicis inserere, vel inscribere potest, nisi causa debiti fuerit expressa. *Reform. Francofurt. p. 1. t. 30. §. 3. ibi:* Es werde dann die Ursach der Schuld vnd woher die Reiche ihme aufruecklich angezeigt. Non autem quælibet sufficit causa, sed, ut idonea in confessione exprimatur, requiriatur. Qua ratione nullæ sunt vires confessionis, si in illa turpis continetur, vel inepta addita sit causa: v. c. si quis fateatur, se Titio centum debere ex furto; quod ipsi tanquam socii commisissent; vel si filius fam. fateatur debitum ex pecunia mutua. *l. pen. ff. l. 1. l. 5. C de cond. ob turp. caus.* Denique etiam non satis est generalem exprimere causam; sed specialem addi oportet: v. g. si quis in scriptura fateatur: se Titio ex contractu in centum esse obligatum; confessio hæc debitum non probat. Diversitas enim contractuum facit, ut tantum obscure constet de causa; quod non sufficit. *Scacc. 2. de jud. 11. n. 273. arg. l. 25. §. f. de prob. cap. 14. de fid. instr.* Valet tamen confessio, si quis ex reliquis, vel rationum residuo, sive ut mercatores loquuntur, per resto & saldo rationum se debere confiteatur. *l. 47. §. 1. de pact. l. 9. §. 6. de pecul. l. 26. §. 2. depositi.* Item, si fateatur quis, se Titio centum debere florenos, quos ipse acceperit; hisce enim verbis causa mutui expressa videtur. *Carpz. I. F. p. 1. c. 17. d. 39. n. 8. arg. l. 9. §. 4. de R.C. l. 31. vers. nam si quis. ff. Locati. Sixtin. conf Marp. vol. 1. conf. 11. num. 38.* Præterea etiam geminatam confessionem, diversis temporibus, & in diversis scripturis factam, causæ defectum supplere, post alios tradit. *Vultej. vol. 1. conf. Marp. 19. n. 23. arg. l. 26. de prob. l. 22. C. ad Sctum Vellej. N. 61. cap. 1. §. 2.* Geminata enim confessio, vim judicialis habere dicitur. Judicialis vero probat, etiamsi nulla exprimatur causa. *Hunn. Encyclop. p. 2. t. 16. cap. 2. 7. & 8. Carpzov. I. F. part. 1. c. 17. d. 40.* In liberatoria confessione, qua quis debitorem suum ab obligatione liberatum esse fatetur, nullam expressam Dd. requirunt liberationis causam. *Myns. 4. Observ. 51. Sichard. ad l. 13. C. de non num. pec.*

XLV.

Ordo nos deducit ad extrajudicialem confessionem verbalem; quæ fit verbis ore nuncupatis, & quidem vel præsente & acceptante adversario; & habet vim plenæ probationis: cum in missionem cadat. l. 26. deposit. l. 25. de probat. cap. 10. de probat. Hunn. dl. tit. 16. cap. 5. num. 24. & seqq. Dn. B. Carpz. I. F. p. 1. cap. 16. d. 21. num. 5. & seqq. vel eo absente; & hæc ex communi Dd. sententia tantum semiplene probat; ita ut adversario juramentum suppletorium deferri possit. Bart. & Iason. in l. 31. de jurejur. Fab. in Cod. l. 4. t. 14. d. 25. Perez. C. h. t. n. 17. Zoësius d. l. n. 15. 16. & ipse Dn. Carpz. d. l. def. 21. Hunn. d. l. cap. 5. n. 1. & seqq. Alii vero ab hac sententia recedunt, & hanc quoque confessionem, deliberato animo factam, & à duobus integræ fidei testibus probatam, plenam fidem facere statuunt: idque per l. 13. C. de non num. pec. l. 26. depos. junct. l. 15. C. de fid. instrum. Nov. 90. cap. 2. Donell. ad d. l. 13. Hahn ad Wesenb. h. t. p. 542. Ludw. ibid. num. 10. quibus adstipulatur Reform. Francofurt. p. 1. t. 30. §. 1 ibi: Nicht allein aber seynd die Gerichtliche Bekantniss/ sondern auch die so außerhalb Rechens/ als von Notarien vnd Zeugen/ oder sonst ehrbaren Leuthen/ mit erzählung vnd vermeldung deren Ursachen/ weß halben/ vnd warumb die geschehen/ (sonderlich aber wann auch die Widerpart zugegen ist/ vnd solche Bekantnwß annimbi/) kräftig vnd gnugsam zu einer rechtmäßigen Beweisung/ wan sie nur beigebracht mögen werden. & §. seq. 6. Idein legitur in iure provinciali Würtemberg p. 1. t. 33 §. es sollen auch. Quod maxime procedit, si confessio geminata vel jurata sit. vid. Hunn d. cap. 5. n. 4. & seqq. Carpz. I. F. p. 1. c. 16. d. 21. ita tamen ut nec hæc reiterata, vel jurata confessio, parata executionem habeat, neque propter illam mandata sine clausula decerni possint. Reichs-Deputat. Abschid de Anno 1600. §. wann in einer Verschreibung. & §. seq. Ebener massen sollen die confessiones. vid. Gabr. l. 1. concl. 2. de confess. Sichard. Cod. ad d. l. 13. Gomez. 2. Resol. 11. Vmm. d. l. num. 57. Testes autem, coram quibus facta est confessio, an ad hoc rogati fuerint, an vero fortuito advenerint, nihil interesse arbitror, per l. 11. de testib. c. Ad fidem. 4. quast. 3. Nec Jus Frankfurt. & Würtemb. dd. II. speciale rogationem requirit.

Tandem

XLVI.

Tandem nutu quoq; extra judicium confessionem fieri posse, nemo dubitabit. cum hoc quoq; sufficiens sit consensus indicium, **Gæd. ad rubr. V. S. num. 8.** & regulariter in aliis omnibus negotiis, quibus verba in specie non requiruntur vel literæ, sufficiat. **conf. l. 21. ff. de Leg. 3. l. 22. de Fideicom , l. 93. §. 1. de Acqu. hered. l. 65. ad Sctum Treb. Ab Enenckel. de Priv. par. & lib. pr. 19. c. 2. n. 7. & pr. 15. c. 2. numer. 11. l. s. §. 3. de adsign. lib. ibique Gotbofr.** Quapropter si, v. g. coram notario & testibus, vel aliis honestis vi- ris quis interrogatus, *an Titio centum debeat*, nutu responderet & confiteretur ; quin hæc confessio cum præcedenti ejusdem sit ef- ficaciæ, nullum videtur esse dubium.

XLVII.

Hisce exantlatis, accedamus ad **Criminalem confessionem**; quæ nimirum fit de causa criminali; ex qua agitur ad pœnam cor- poris afflictivam, vel pecuniariam fisco applicandam: De hac in genere notandum, quod ipsa ad condemnandum non sufficiat, nisi clara, perspicua ac certa sit. Nam dubia, obscura & incerta non afficit confitentem. **l. fin C. de probat. vid. Guazzin. d. tr. def. 32. c. 1. num. 1. Gæb. arb. jud. crim. cap. 6. p. 2. num. 13.** Deinde de- bet esse specifica, continens locum, tempus & alias delicti cir- cumstantias, **Guazz. d. num. 3. Gæb. d. l. num. 10.** Nam confessio super delicto principali facta non nocet confitenti super qualitati- bus delictum aggravantibus, **Guazz. d. def. cap. 17.** Ex quibus omnibus infertur, confessionem nutu factam ad mortis pœnam di- standam non sufficere. **vid. Carpz. Tr. Cr. p. 3. q. 147. num. 86. Guazzin. d. def. 32. c. 29. Gæbauf. in arb. jud. crim. c. 5. ram. 3. num. 141.**

XLVIII.

De effectu hujus confessionis in genere sciendum, ipsum nun- quam habere vim rei judicatæ, sed tantum probationis. In crimi- nalibus enim confessus non habetur pro judicato, sed semper opus est judicis sententia. **l. 5 ff. de custod. reorum. Zoëf. b. t. numer. 19.** Etenim licet quis factum aliquod turpe fateatur : ex hoc ipso ta- men non statim constat, quale, quantumque sit illud delictum,

quamque mereatur pœnam. Cum & facti inquisitio s̄epe mag-
nā diligentiam, & pœnæ aestimatio multum prudentiæ & aequi-
tatis desideret. Judicem itaque ex variis personarum qualitatibus,
& facti circumstantiis, nimirum causa, persona, loco, tempore, qua-
litate, & eventu, hoc ipsum aestimare, ac perpenso judicio prospic-
cere oportet, ne quid aut durius aut remissius statuatur, quam
causa depositit. *l. 11. l. 16. f. de pœnis.* Agitur siquidem hic non
de glande legenda, sed s̄epe de fama & hominis vita, re pretio-
sissima & irrecuperabili. Unde etiam confessiones in hisce causis
criminalibus non semper eandem, quam habent in civilibus, pro-
bationis vim obtinent. Ita enim rescritit Divus Severus in *l. 1. §.
17. de q. confessiones Reorum, pro exploratis facinoribus haberi non opor-
tet: & Ulpianus in d. l. §. 27. si quis ultro de maleficio fateatur, non
semper ei fides habenda est.* Perfectiores, & luce clariores h̄ic requi-
runtur probationes, omniq̄ exceptione majores. *l. f. C. de probat.*
Ex quo apparet, confessiones in judicio civili factas, in judiciis cri-
minalibus non semper sufficere ad condemnationem inducendam.
*vid. Gœhauf. arb. jud. crim. c. 6. p. 1. §. 6. num. 17. 18. & seqq. Guazz.
l. def. 32. cap. 7. n. 1. 2.*

XLIX.

In his autem causis criminalibus etiam distinguendum est inter
Judiciale & Extrajudiciale Reorum confessionem. Judicialis
est, quæ fit coram Judice competente, *l. 2. ibi audiatur apud acta.*
*C. de custod. reor. c. 4. x. de jud. vid. Guazz. dl. cap. 26. ubi late agit
de confessione criminali coram in competente facta.* Ex quo sua spon-
te sequitur, confessionem coram Notario, absente Judice factam,
non esse judiciale; nisi judex Notario vel Actuario specialiter
examen Rei mandaverit; post multos à se allegatos, *Guazz. d. l. c.
27. num. 1.* Unde etiam ratificatio confessionis in tortura factæ,
fieri debet coram judice & duobus Scabinis, præsente & annotante
Actuario. *Ord. Crim. Carol. V. art. 56.* An verò in loco judicii
ordinario, vel in alio hoc fiat, nihil refert. *d. art. 56. Carpz. Tr. Cr.
p. 3. q. 126. num. 29. & seqq.*

L.

Hæc judicialis confessio sponte ac rite facta, etiam in crimin-
ibus plenam facit probationem, & sufficit ad Rei condemnationem;
• *l. 16.*

b. 16. ibi: aut sua confessione C. de panis. **Carpz.** Tr. Crim. p. 3. q. 126. num. 1. & 2. **Gæhaus.** dl. c. 6. p. 2. num. 1. modo in caulis capitalibus & ultimi supplicii, aliunde etiam de corpore delicti constet. Ubi enim de hoc non constat, ex sola confessione nemo ad mortem condemnatur. arg. l. 1. §. 24. ad scđum Silan. post multos, **Carpz.** dl. p. 1. q. 16. num. 41. Nonnunquam enim homines metu aut qua alia de causa perire volentes, & ad mortem properantes, falsa contentur crimina; proinde ipsis non semper fides habenda. l. 1. §. 27. **de quæst.** Cum nemo delictum sua confessione facere possit, ubi non est delictum; neque sese sua sponte ultimo supplicio subjiceret. Homo siquidem vitæ suæ non est dominus, sed tantum custos. **vid. l. 6. ff. de Appell.** Hinc prudentissime rescripsit Divus Servus Imp. **Confessiones Reorum pro exploratis facinoribus haberi non oportere, si nulla probatio religionem cognoscentis instruat.** d. l. 1. §. 17. **de question.** **Guazz.** d. def. 32. c. 2. Licet igitur quis in judicio constanter fateatur, se homicidium, parricidium, vel furtum commisisse; si tamen de homine occiso, vel re furtiva, & personis, quibus factum sit, adeoque de corpore delicti, non constet, hæc confessio tantum non operatur, ut Reus mortis pœna affici possit. **vid. Ord. Crim. art. 161.** **Carpz.** Tr. Crim. p. 2. q. 81. num. 4. & d. q. 16. num. 41. & seqq. Quoad pœnam verò extraordinariam, sufficit judicialis confessio, licet aliunde de delicto non constet, **Fachin.** l. 1. contr. c. 28. & 30. **Zaf.** b. t. num. 2. **Carpz.** dd. II. De corpore v. delicti in criminibus & facti permanentis, & transeuntis, quomodo constare debeat, meum non est, hic pluribus explicare. **vid. Carpz.** dd. II. & passim, in Tr. Crim.

II.

De Extrajudiciali confessione communis est Dd. sententia, quod ipsa in criminalibus non plenam mereatur fidem, nec ad condemnationem sufficiat. **Clar.** q. 55. in pr. **Mascard.** de probat. concl. 497. num. 1. & seqq. **Guazzin.** d. def. 2. cap. 33. ubi plures hujus sententiæ tradit ampliationes & limitationes; quas omnes examinare, nec temporis nec instituti mei permittit ratio. Ad torturam tamen sufficit, modo concurrant ea, quæ in art. 32. **Ord. Crim. Car. V.** requiruntur, & à **Carpz.** p. 3. rr. crim. quest. 121. num. 44. & seqq. explicantur: vide etiam **Guazz.** d. 1. cap. 34. **Gæhaus.** arb. jud. crim. t. 6. p. 2. num. 42. & 43.

Ea

LII.

Ea quæ hactenus dicta sunt, pertinent ad confessionem principalem, quæ nimirum facta est de eo negotio vel facto, de quo eo tempore principaliter actum fuit. Incidens vero confessio, nec rei judicata, nec plenæ probationis vim habet. Verbi gratia: si condicione certi ex mutuo conventus, negaret se ab Actore mutationem pecuniam accepisse, & in ejus confirmationem hanc adderet quod eo tempore ab alio, Sejo sc. tantam accepisset pecunia summam. Ex hac confessione, nec Sejo confessoria datur actio; nec plene ejusdem probatur contractus: quia hæc confessio Incidens est. Reus enim hoc ipsum asseruit, non ut debitum Seji agnoscat, sed ut sese contra præsentem Actorem defendat. Actus autem ultra agentium intentionem non operatur. arg. l. 19. de Reh. Cred. vid. Gœhauf. arbor. jud. crim. 6. p. 1. n. 124.

LIII.

Præterea prædicta etiam tantum locum habent in confessione Spontanea; quo circa à nonnullis hujus tituli rubrica in Pand. inscribitur: *de ultrò confessis: Cujac. Comm. b. t. & Zaf. eod. Ast extorta*, & quidem vi metuve privato, quamvis in causis civilibus regulariter valida videatur: tamen contra illam datur in integrum restitutio, *arg. t. t. ff. quod. met. caus.* Si verò ipse judex tormentis legitime extorqueat confessionem, ipsa itidem non ad plenam sufficit probationem; nisi postea legitime fuerit ratificata. *Const. Car. Crim. art. 58. ibique Bull. & Zieritz. Mascar. dl. concl. 353. Mynsing. 3. obs. 80. Zanger. c. 5. num. 3. de Tortur. Bocer. de quæstion. c. 5. Perez. Cod. ad tit. de quæst. Petr. Theod. Coll. Crim. disp. 9. th. 9. lit. b. & Dn. Carpz. tr. Crim. p. 3. q. 126. per tot.* Denique etiam prædicta non procedunt in confessionibus, quæ factæ sunt ob spem præmii, impunitatis promissionem, assiduas preces, vel persuasiones dolorosas, *l. 5. C. de Apostat. l. 1. §. 3. de serv. corrupt. l. 1. §. 27. C. de Rapt. virg.* quippe quæ quandoque plus valent, quam compulsiones. *l. 3. §. 5. de lib. hom. exhib. fac. c. 6. de Homicid. l. 1. §. 27. de quæstion. Farin. l. 1. q. 37. t. 5. numer. 96. Clar. l. 5. seni. §. fin. q. 55. Carpz. Tr. Crim. p. 3. q. 149. & 123. Guazzin. d. l. def. 20. c. 24. 25. & def. 32. c. 22.*

Postremo

Postremo pertinent supra tradita ad Puram sive Simplicem Confessionem; qua nimurum quis adversarii intentionem simpliciter & sine adjectione fatetur: In qualificata verò non semper procedunt. Dicitur autem qualificata confessio, qua quis adversarii intentionem confitetur, sed addita conditione, modo, vel alia qualitate: v. g. si quis ex stipulatu petat centum; Reus vero respondeat, se centum promisisse, sed sub hac conditione: *si navis ex Asia venerit*; vel in diem; vel sub modo, ut sc. stipulator studia absolvere possit; aut solutionem, pactum remissorium, vel simile quid prætendat & confessioni adjiciat. In hac qualificata Confessione distinguendum est, utrum contineat capitula connexa, an vero separata. Connexa dicuntur, quæ vel uno tempore simul, vel successive quidem, sed incontinenti expediuntur, v. c. promisi, sed sub conditione; sed in diem, sed sub hoc modo, ut ipse mihi insulam ædificet. Separata sunt, quæ diversis temporibus fiunt, vel quæ in continenti quidem sequuntur, unum tamen ad alterius determinationem non facit; aut quæ quidem se invicem determinant, non tamen in continenti apponuntur. *Franck lib. 2. Resol. 20. n. 5. & seqq. Menoch. cent. 2. de arb. jud. quest. cas. 95.*

De confessione qualificata, quæ capitula continet connexa, hæc venit notanda Regula: **Confessio qualificata, continens capita connexa, non est dividenda; sed vel tota acceptanda, vel rejicienda aut repudianda.** Ne scilicet sit in potestate Adversarii eandem rem facere veram & falsam, atque sic diverso jure censeri. *arg. l. 23. de Vfucap. l. 16. C. de administr tut. l. 29. §. 1. de Minor. l. 27. famil. ercisc. Barbosa locupl. l. 3. c. 44. axiom. 3. Vult. vol. 1. cons. Marpurg. 15. num. 211. & n. 306 Hartm. Pistor. l. 4. quest. 16. per tot. Franck d. Resol. 20. num. 11.* Quæ ipsa Regula procedit, sive qualitas adjiciatur una oratione, v. c. *centum conditionaliter promisi*; sive diversa, v. c. *centum Titio quidem promisi, sed hanc adjeci conditionem: si navis ex Asia venerit.* Nam hæc re ipsa connexa sunt; de quibus idem debet esse judicium. *l. 43. de R. V. c. translatio, de constit. Gædd, vol. 2. cons. Marpurg. 28. n. 65.*

Frantz k. d. Resol. 20. num. 12. Hinc si Actor pure intendat Reum sibi centum promisisse; hic vero fateatur conditionaliter: v.g. se promisisse centum, sed sub hac conditione: *si Consul factus fuerit:* Actor vel totam agnoscere debet confessionem, cum sua qualitate, vel totam repudiare; nec illam dividere, & pro parte agnoscere, pro parte vero rejicere potest. Unde ipse Actor per hanc confessionem ab onere probationis non liberatur; sed ipse probare tenetur promissionem pure esse factam. *Hartm. Pistor. d. q. 16. Frantz k. d. Resol. 20.*

LVI.

Recipit tamen prædicta Regula limitationem in iis casibus, quibus ratione qualitatis confessioni adjectæ, juris præsumptio pugnat contra confidentem; *Gail. l. 1. de P. P. 6. 17. n. 3.* v.g. si Reus fateatur, se Actorem spurium, furem, vel nebulonem appellasse, sed sine injuriandi animo. Hæc confessio licet sit qualificata, & contineat capita connexa: quia tamen hæc verba sua natura sunt injuriosa; & ex illis etiam dolus & animus injuriandi præsumitur; *l. 5. C. de injur.* atque sic contra illam confessionis qualitatem specialiter pugnat juris præsumptio; eapropter confessio, quoad primam tantum partem admittitur; ejusdem verò qualitas tamdiu rejicitur, donec confessus illam legitime probet, ac contraria probatione istam præsumptionem excludat. *d. l. 5. C. de injuriis. Gail. 2. obf. 106. num. 7.* Item si accusatus se homicidium, sed sine dolo & occidendi animo, commisisse fateatur: homicidii confessio recipitur, & per illam homicidium probatur; sed qualitas, donec ab ali. legante probetur, rejicitur: quia contra hanc quoque qualitatem juris præsumptio pugnat. Hominem enim privata autoritate occidere, est de genere prohibitorum; pro inde ex ipso facto lex de occitore male præsumit; & hæc confessionis qualitas juris præsumptioni contraria detrahitur, ac pro non adjecta habetur; donec accusatus aliunde illam doceat. *l. 1. C. ad L. Corn. de Sicar. arg. l. 5. C. de injur. vid. Carpz. tr. Crim. part. quest. 33. num. 6. & p. 3. q. 22. n. 7. & seqq. Frantz k. l. 2. Resol. 18. n. 35. & seqq. ut & Resol. 20. n. 19. & seqq. Gail. d. l. 1. P. P. 6. 17.*

LVII.

Cæterum si confessio qualificata contineat separata capita: v.g. si quis obligationem agnoscat, sed solutionem, acceptilationem, vel

vel pactum remisoriū secutū esse prætendat; hæc diversa quo minus separari possint, nihil obstat. arg. l. 29. §. 1. ff. de Minor. Bachov ad Treutl. v. 2. d. 26. th. 18. lit. d. p. m. 785. Hinc si directa depositi actione conventus respondeat: *depositum accepi*; *sed illud restitui*; vel *depositum quod accepi restitui*; hoc ipso intentio actoris plene probatur, ipseque ab ulteriori depositi probatione liberatur. Reus vero separatam qualitatem confessioni adjectam docere tenetur; quam si non probat, condemnatur. l. 9. vers. si vero. C. de except. Frantz k. d. l. 2. Resol. 18. n. 4. & seqq. Res. 20. n. 27. 28. Gædd. vol. 2. Cons. Marburg 28. num. 77. Felin. in cap. Auditio. x. de præscript. Hahn. ad Parat. Wes. h. t. pag. 583. Plura & diversa de hac qualificata confessione vide ap. Guazzin. d. def. 32. cap 35. per tot.

LVIII.

Venio nunc ad quasi confessionem; quæ sc. ex certo facto elicetur, & à lege præsumitur; cuius in jure varia, diversæ tamen naturæ & qualitatis occurruunt exempla; quorum ultimum haud est Confessio ex transactione de privatis famosis delictis, privata auctoritate inita. Cùm enim nemo suam jactare præsumatur; l. 25. ff. *de probat.* propterea eo ipso, quod quis adversario suo pro remittenda injuriarum, furti, vel vi bonorum raptorum actione aliquid solvit, vel promittit, ipsam injuriam, furtum, vel rapinam confiteri videtur, & æque ac condemnatus infamia notatur. l. 4. §. fin l. 5. ff. *de his qui not. infam.* quod secus est in contractibus. Licet enim etiam in quibusdam contractibus, puta societatis, mandati, depositi, & tutelæ, condemnatos sequatur infamia; de iisdem tamen salva existimatione transigi potest. l. 7. *de his qui not. infam.* Etenim in hisce contractibus condemnati infamia non notantur, nisi in specie propter dolum damnati fuerint, arg. l. 6. §. fin. ff. *de his qui not. infam. juncta l. 4. §. 2. de suspect. tut.* At qui de his causis transigit, quamvis obligationem, non tamen do. um fateri videtur. Aliud exemplum extat in l. 28. §. 1. *de bon. libert.* Cujac. Par. C. b. t. & in cap. 4. x. *de præsumpt.* quod explicat. Canis. ad d. c. 4. Item si quis in judiciis adversarii allegationibus non contra dicat, illas fateri censetur. l. 11. §. 4. *de Interrog.* Barbos. locupl. l. 18. c. 1. axiom. 7. vers sublimita in judicial. Wesenb. Parat. b. t. num. 5. in fin. Atque ita in Electorali appellationum Senatu judicatum esse refert & defendit. Carpz. l. 6. Resp. 101. num. 3. & seqq.

quod maxime procedit, si iussus ad positiones non respondeat. *c. 2. de confess. in 6. p. 3. Ord. cam. t. 15. & 43. Gail. 1. obs. 8. vid. Rosbach. tit. 51. Vmm. d. disp. 13. tb. 5. n. 23.* Idque in civilibus, secus est in criminalibus. *Carpz. tr. crim. p. 3. q. 120. n. 81. seqq. Gail. 1. obs. 15. n. 1. Fagbin. l. 9. controv. 39. 40. 41.*

LIX.

Excipiens an Actoris intentionem fateri videatur, quæritur? De exceptionibus, quæ saltem processum respiciunt, vel in nuda negatione consistunt, res caret controversia, nec ad has exceptiones pertinet hæc quæstio. *vid. Frantz k. l. 2. Ref. 18. n. 2. & 7.* In reliquis, quæ merita causæ concernunt, videndum an simpliciter oppositæ sint; an vero Reus prius intentionem Actoris affirmaverit, vel negaverit? Priori in casu, v. c. si ex mutuo, vel stipulatione conventus, respondeat: solvi, &c. non videtur fateri actoris intentionem. *l. 9. ff. & l. 9. C. de Except. c. 63. de R. I. in 6. c. 6. x. de Except.* Nam qui ponit solutionem non semper præsupponit debitum, cum sæpe etiam indebitum solvatur. Et excipiens hoc intendit, ut actorem excludat: actus autem ultra agentis intentionem operatur nihil. *l. 19. de R. C.* Unde etiam actione familiæ erciscundæ agens, per hoc non fateri videtur, adversarium suum esse coheredem. *l. 37. ff. Fam. ercisc. Cujac. l. 9. obs. 35. Frantz k. lib. 2. Ref. 18.* Quod ipsum etiam procedit, si reus conditionaliter intentionem fateatur, hoc modo: si mutuum accepi, si stipulanti promisi, illud solvi. Nam conditio nihil ponit in esse. *l. 8. ff. si quis omis. caus. test. Frantz k. d. Ref. n. 39.* Si vero Reus actoris intentionem expresse affirmaverit, & postea demum exceptionem adjecerit, quid dicendum sit, præcedenti th. 55. 56. 57. dictum est. Cæterum si illam expresse negaverit, idem, quod de primo membro, dicendum erit.

LX.

Ad finem properans paucis & quasi per indicem, CONTRARIA attingam: quæ sunt Restitutio in integrum ex causa ætatis, *l. 6. §. 4. b. t.* etiam in criminalibus. *arg. l. 9. §. 2. de Minor. Refold. in delib. l. 4. q. 15. p. 367.* item Metus, error, contrarietas naturæ & juris, dolosa persuasio, non secuta numeratio, tutoris & curatoris absentia, ambiguitas, revocatio in continentia facta. *vid. Guazzin. d. def. 32. c. 10. c. 11. c. 12. c. 13. Hahn. Encyclop. jur. univers. p. 2. t. 16. c. 7. per tot. Gilhaus. (qui etiam in precedentibus per Gæhaus. substituendus) arb. jud. cir. c. 6. p. 1. § 122. Hahn. ad Wes. b. t. p. 542.*

Vmm. disp. 13. tb. 10. Quæ omnia nunc etiam eilent tractanda. Verum portus instat, anchoram figamus.

DEO SOLI GLORIA.

94 A 7360

94 A 7360

ULB Halle
002 381 974

3



56.

VDTI



spatia saecula
in milion manib[us] n[on] agnoscuntur

A
ante omnia que n[on] agnoscuntur

h[ab]uit d[omi]n[u]s i[n] diebus suis

